*Erumpet quasi mane lumen tuum.*

Léctio libri Isaíæ prophétæ 58, 7-10

Hæc dicit Dóminus Deus:

7 Frange esuriénti panem tuum,
et egénos, vagos indúcere in domum.
Cum víderis nudum, óperi eum
et carnem tuam ne despéxeris.
8 Tunc erúmpet quasi auróra lumen tuum,
et sanátio tua cítius oriétur;
et anteíbit fáciem tuam iustítia tua,
et glória Dómini cólliget te.
9 Tunc invocábis, et Dóminus exáudiet;
clamábis, et dicet: “Ecce adsum”.
Si abstúleris de médio tui iugum
et desíeris exténdere dígitum
et loqui iniquitátem;
10 si effúderis esuriénti ánimam tuam
et ánimam afflíctam satiáveris,
oriétur in ténebris lux tua,
et calígo tua erit sicut merídies.

Verbum Dómini.